

Appendix. — Europa Nro. 69.

Regnum Mortuorum.

Sermones Politici Mortuorum.

Elysium — Meum 12. Augusti 1808.

Garrick.

Qui peignant, tour a tour, la tendresse et l'horreur,
Le Vieillard décrépité, le jeune Petit — Maître,
Sut plier la Nature a son art enchanteur,
Et fut, a tous les yeux, tout ce qu'il voulut être.

Hogart in valle Thaliae.

Hodie mane fuerant manes in valle, ubi umbrae Theatralistarum convenire solent. Hogarth peroravit de necessariis talentis boni Actoris. Non solum gestibus, sed in ipsis faciei lineamentis oportet passionum diversitatem exprimere. Ira unius herois, unius magni viri aliter se protrudit per lineamenta, quam unius quotidiani hominis; et ita omnes aliae passiones, quae juxta varietatem status suum habent *decorum*. Unicum ego novi hominem, qui hanc regulam perfecte noverat, quod docet sequens historia.

Intimus meus amicus *Fielding* obiit Anno 1754. Ego propter amissum hunc amicum nulla ratione me consolari poteram, praesertim, quod se a me pingi non admisit; et quia imaginem ejus non habui, maeror me ubique insectatus est. Die quadam, tempore matutino, dum recte imaginem cujusdam Principissae pingerem, videbar audire lamenta denati amici mei, qui inter suspiria me vocabat: Hogarth! veni, et pinge me — Jocus! putabam; et ita mecum: Intensa hunc esse phantasiae effectum; Irridebam meipsum, et continuabam laborem. Elapsis aliquot minutis, eandem vocem, eademque audiebam verba; Ingressus cubile, ex quo tonus veniebat, et en! *Fielding* ibidem reperi. Noli expavescere Amice! ita me affatur umbra: Novi desiderium tuum ad me depingendum, age, et lineamenta mea tibi designa, quia unicuique tantum horae quadrans mihi indulgetur; ut sedere possim. Caput, facies, lineamenta erant omnia *Fielding*; Res quidem insolita mihi adparuit, arripui tamen penicillum, et totam, prout erat, figuram delineavi. Ter-

minato labore, dicebat forma haec; vade in conclave tuum, sed respicere noli. Parui monitis; et totus confusus, convocavi omnes domesticos meos, sciscitatusque sum, an non aliquis extraneus in domo fuerit. Omnes una voce dixerunt, neminem domum intrare potuisse, cum fores occlusae essent, et clavis revera ad caminum in meo cubili fuerit.

Erat chaos cogitationum in meo capite; accinxi me operi, et forma erat ad vivum. Luctabar mecum, an casum hunc alicui narrem? sed objiciebam mihi, si hoc facerem, me pro deliro haberi, cum opinio mea circa spectra publice nota fuerit. Si vero res naturaliter ad me ludendum evenisset, tunc me risui exponerem. Silebam ergo, consummavi imaginem, quam denato perfcie similem esse confessi sunt; et haec eadem Imago dein praefixa erat operibus *Fieldingii*, de quod notum erat, quod nunquam se pingi curaverit.

Post aliquod tempus venit adme celebris Comicus *Garrick*, bonus amicus meus, et proposuit, ut aliquot boni amici Parisios proficisceremur, grata propositio grato animo acceptata est, et 4 curribus Parisios iter ingressi sumus. — Omnes boni amici. Etiam Parisiis invenimus bonos amicos, qui nos, et quos nos quotidie visitavimus. Rescivimus, Historiolam *Fieldingii Tom Jones* in Gallicum translata esse, in quo opere pariter imaginem amici mei, quam ego pinxeram, reperi. Haec dedit causam sermoni de *Fielding*; omnes ex me quaerebant, undenam ego hanc acceperim effigiem, cum idem nunquam se pingi curaverit; Hoc esse misterium, reposueram ego, et licet me saepius, ut faterer, urserint, constans tamen in hoc proposito permansi; aliqui dixerunt, quod forte de memoria pinxerim; quod tamen ego negavi. Dum ita circa hanc imaginem disceptaretur, comparuit post fornacem figura humana, et nobis inclamavit. En *Fieldingium*! stupor, et terror invasit omnes, quia vivam *Fieldingii* vidimus faciem et formam. Primus ego accurri ad Caminum, et ecce! inveni amicum nostrum *Garrick*, qui lineamenta *Fieldingii* adeo perfecte imitari novit, ut quemvis fefellerit. Nunc detectum est arcanum meum, et *Garrick* fassus est, eum in forma Spiritus mihi comparuisse, ut desiderio meo, *Fieldingium* pingendi satis faceret. Stupebant manes talenta *Garrickii*, sed magis adhuc iliud, quod 4. milliones suis haereditate reliquerit, et omnes uno ore confessi sunt; eum fuisse in mundo perfectissimum, sed etiam ditissimum Theatralistam.

Ad haec venit sermo de rebus politicis. Novus advena in regiones beatorum narravit, priori hyeme multos Prin-

cipes
bello
hanc
duo fo
phinur

I
haec I
tione
jam m
aestas
unum
8000 a
dormi
bus N
patur.
lio mi
mitti,
in Fin
ris, qu
derati
tum A
exspec
per Ba
Quis t
quod
scire d
ingeni
adhuc
nensi
hibitae
sent h
dactor
nesti s
dacion
obfusc
sparge
D
civitat
affectu
dolere
rari no
tection
ter cae
26000
Ottom
ctigali
poli pr

cipes ex Germania fuisse Parisiis. Dum vice quadam de bello inter Galliam, et Angliam sermo esset, unus ex illis hanc de hoc bello tulit sententiam: esse illud luctam inter duo fortissima viva animantia, utpote inter *Leonem*, et *Delphinum*. Accommoda sane comparatio!

Inter argumentationes autem Monitoris de 6. Augusti haec leguntur: Aliae Ephemerides narrant varia de expeditione 20,000 Anglorum in auxilium Regis Sveciae, quae jam mense Aprili in Svecia adesse debuissent, et ecce jam aestas transit, et adhuc non cogitant de excensione. Hoc unum in hac re verum est; quod Generalis *Moore* cum 8000 ad Gotthenburgum advenerit, quibus in navibus suis dormientibus, copiae Svecicae ubique profligantur, a finibus Norvegiae repelluntur, et Finnia per Russos occupatur. Non 8000, sed 50000 debuissent Angli Svecis auxilio mittere „si habuissent” aut haec 8000 ad Norvegiam mitti, aut in expeditione contra Abo adhiberi, aut vero in Finnia Septentrionali adplicari. Res profecto singularis, quod copiae auxiliares duobus mensibus ad littus foederati sui otiosae haereant, quin excenderint, quod tantum Anglis evenire potest. — Volebant scilicet finem belli exspectare — *Journal de L'Empire* dicit: Magnum Vezérium per Bascham Vidinensem cum caede 4000 profligatum esse. Quis talia paradoxa narrare potest? Excusat se novellista, quod haec ex Ephemeridibus Byruthinensibus habeat; sed scire debuisset, has sub influxu Angliae ab hominibus sine ingenio, et sine moralitate compilari. Vezérius Adriānopoli adhuc non discessit, adeoque praelium cum Bascha Vidinensi habere non potuit. Caeterum novellae hae sunt prohibitae, ideo pro futuro pauciora erunt mendacia. — Posset hoc exemplum etiam nonnulli alii Ephemeridum Redactores sibi notare. — Commercium, quieti cives, et honesti speculantes habent jus contra hos Concitatores, mendaciorumque cutores satisfactionem petendi, qui veritatem obfuscant, et ubique semen tumultuum, et inquietudinis spargere vellent.

Dum Napoleon Tolosa discessit, dixit ad Consulem civitatis: Ut diceret nomine suo Incolis urbis, se nunquam affectus sinceri, quem erga illum testati essent, oblivisci; dolere sibi, quod negotiis avocatus, diutius inter eos morari non potuerit; eos omni occasione de singulari sua protectione securos esse posse. Cum habitu suo ex hac urbe inter caetera munificentiae argumenta reliquit Imperator etiam 26000 Librarum, inter pauperes cives distribuenda. Porta Ottomannica transportus gossipii in Galliam ab omni vectigali exemit, si Certificatoriis Legati gallici Constantiopolis provisi sint; favor specialis!

Diarium Politicum.

De fidedignitate Ephemeridum: — Habeo ego notum quemdam, dicebat Author Miscellarum, qui ex digito sanguinem stillantem videre, aut infantem flentem audire non potest, et tamen Ephemerides nunquam satis mactare possunt; ephemeralis ejus furia eum attingit jam gradum, ut occasione cujusvis conclusae pacis exclamare soleat: Miseros Novellistas! Post pacem chronopolitanam fecit calculum generalem omnium, a tempore exortae revolutionis gallicae quoquomodo occisorum hominum, quorum specialem ex ephemeridibus habuit consignationem, et prodixit summa occisorum, aut ob belli sequelas mortuorum, nec major, nec minor, quam 142, 241, 817. Hunc Regestrum suum voluit tipis edere, sed cum ipsi proposuissem, quod populatio totius Europae circiter 180000000 efficiat, adeoque Ephemerides spatio viginti annorum totam propemodum Impopulationem Europae trucidassent, ab hoc proposito destitit.

Marschallus *Jourdan*, Gubernator Neapolis in Hispaniam discessit, ubi summum copiarum Regis Josephi sub titulo *Generalis Majoris* habiturus est imperium; Imperium copiarum in Italia *ad interim* habebit *Generalis Ebeigner*. Vice Rex Italiae, dum in itinere suo per Lauretum transiverat, invisit celebrem capellam Lauretanam, eamque sub specialem suam sumpserat protectionem; et Instituto educationis, quod *Canonicus Christianupulo* ibidem fundaverat, 3000 fl. assignavit. Etiam Regina Hispaniae, dum Neapoli Madritum proficisceretur, peregit suam devotionem in hac capella, et ornamentum magni valoris eidem capellae donavit.

Biographia.

Vilhelmus Hogarth erat Pictor, natus Londini 1698, et obiit 1764. Delineationes ejus sunt irregulares, et colores admodum debiles, sed imagines ejus comicae, et morales sunt excellentes, Mechanismum artis suae, nempe proportionem partium; colores, eorumque harmoniam penitus neglexit, tanto magis autem excoluit poesim, et moralitatem artis. Agnosco, solitus erat dicere, totum mundum judicem competentem artis meae, exceptis picturae peritis. Delineavit varias afflictionum species, quibus homines pecora tractare solent. Auriga quidam crudeliter tractaverat vice quadam in platea londinensi equos suos; homo quidam de plebe, haec videns, dixit ad eum: Barbare! non vidisti delineationes *Hogarthi*? Erat is etiam scriptor nominatior, et inter opera ejus celebratur *Analysis pulchri*. Sententia ejus est, rotunditate formae absolvi pulchritudinem; hoc in multis verum, in multis falsum est.